

5m. 932.
6.
Epistola gratulatoria

Ad Illustrissimum Dominum,

Dm. LEONEM

SAPIEHA, MAGNI DV-
CATVS LITHVANIÆ CANCELLARIVM,
Sloninen. Mogileñ. Pernauieñque Capita-
neum: & nunc generalem in Liuania
Commislarium:

QVA FELIX MATRIMONI-
um illi, unà cum consorte eius, Illustri ELI-
SABETHA RADZIVILEA Illmi. Pa-
latini Vilneni filia, exoptat

DAVID HILCHENS. R. Mtis. Se-
cretarius, & Notarius in Liuania ter-
restris Vendenfis.

Rigæ Livonum

In Officina Typographica NICOLAI MOLLINI.

M. D. A C I X.



In
INSIGNIA
ILLVSTRISSIMI SPONSI LEONIS
SAPIEHA, & illustris Sponsæ ELISABE-
THÆ RADZIVILEÆ

Epigramma.

HÆc sponsi sponsæq; notant insignia Gentem,
 Illaq; perpetuum quo sit habenda loco.
Pyramidum quidam facies de gente vetusta
 Erexere, polum quas tetigisse ferunt:
Sed rerum quia tempus edax has diruit omnes,
 Incluta quod virtus passa sit exilium;
Obscuravit eos tenebris obliuio crassa:
 Niliaciq; soli pyramis alta jacet.
Hic omnes fulgent virtutes, omnia fulgent
 Symbola virtutum: linea nulla vacat.
At verò virtute magis gens utraq; fulget,
 Et tua, SAPIEHA, & RADZIVILE A, tua.
Ergò perpetuis insignia vestra manebunt
 Temporibus: species pyramidata ruit:
Mnemosyne nata vobis Libethrides illud
 Curabunt facile carmine dulcisono.



In

INSIGNIA

THE VESTRISSELI SPONSOR LEONIS

SAPIENTIA & ILLUSTRISSIMO SPONSO BARSABE-

THE R. ACADEMY

Epigramma

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

Epigramma, quod in honore...

ILLVSTRISSI

MO DOMINO, Dno. LEONI SAPIE-
HA, Magni Ducatus Lithuanie Cancellario, Sloni-
nensi, Mohilensi, Pernauensiq; Capitaneo,
& nunc generali in Liuonia Com-
missario,

S. D.

David Hilchen, S. R. M^{ris}. Secretarius, &
Notarius Terrestris Vendenfis:

Nihil quidem gratius vnquam mihi
accidere potuisset, quàm vt ad hanc festiui-
tatem nuptiarum tuarum, ipse quoque ac-
currere possem, & quam laticiam ex tam suauis ac il-
lustri connubio, animo concipis, ego quoque ali-
quam gaudij partem perciperem: sed cum tanta ne-
gotiorum nunc obruar mole, quæ per te potissimùm
ceruici meæ imposta esse sentio, non magnoperè la-
borandum mihi iudico, vt absentiam meam tibi ex-
cusem, & prætermissi debiti officij veniam abs te im-
petrare itudeam.

Cùm enim satis benè perspectam summam &
perpetuam meam erga te obseruantiam esse non du-
bitem, nihil minus timeo, quàm vt hominis aut
ingrati aut negligentis & obliuiosi crimen sustine-

A

am

am, qui te tantum Mœcenatem & Patronum meum, hoc tempore non inuiderim, huncq; obseruantia meæ cultum, quem meritò debeo, tibi non exhibuerim.

Hoc enim vt facerem, omnino requirebat præstans & singularis in me tua gratia, quam multis rerum experimentis, ac certis documentis tu comprobasti, in meque ornando ac beneficijs cumulando, subinde testatam effecisti:

Accedit eò tam benigna tua inuitatio, qui inter tam multos ac præstantes Heròas, qui proculdubio, hæc tuas nuptias præsentia sua cohonestaturi sunt, me quoque vnum conuiuiam esse volueris, literisq; tuis ad me humanissimè datis, hoc officium à me postulaueris: Verùm, cum omnem ad te viam occupationes meæ præcluserint, nec desiderium me meum explere permiserint; nolui tamen omittere quin, quod præsens eram facturum, nunc saltem absens per literas faciam, tantæque felicitati ac rebus adeò lætis congratuler.

Datur nimirum hæc tibi coniunx, & in societatem thori amplexusque tui venit, quæ Illustrissimis orta natalibus, nihil vulgare neq; humile promittit, sed splendidis & castis coruscans moribus, iucundissimæ conuersationis & suauissimi conuictus, non dubiam spem tibi facit. Nam præter ingenitam præcla-

clari sanguinis vim, quam ab illustrissimis parentibus, ortu suo illa traxit, hunc etiam ætatis florem ad te affert, quæ tanquam tenera arbuscula, sequacem se facillè præbeat, & in quamcunq; eam partem inflexuris, ductum illa sequens tuum, sic indurescat & crescat.

Habet illa parentem Illustrissimum Principem, Christophorum Radzeuilum Palatinum Vilneñ, & supremum magni Ducatus Lithuanix exercituum Ducem, qui præter maiorum suorum insignem claritatem, ac longam fortissimorum Herõum & Principum seriem, ista quoque laude summæ virtutis & bellicæ fortitudinis, excellit, vt patria, suam illi salutem acceptam ferat, & in præsidio eius secunda conquiescat.

Quid dicam de alijs illustribus huius familiæ syderibus, ac præstantissimis Regni proceribus, qui hoc sacro connubij vinculo se quoq; tibi adiungunt, & in perpetuum amicitix ius affinitatisque tecum concedunt. Ita verò tanquam ex equo Troiano, Illustrissimi omnes prodeunt Radzevilli, quisq; insignibus suis dotibus excellentes, quos consequuntur Illustres Tenczinij Comites, & quicquid reliquum Ducum Sluceñ restat sanguinis omnes hi, tam splendido matrimonio conciliati, tibi amici & affines, magnam fortunis tuis accessionem efficient, & sicut

in lætis & prosperis rebus, magnum tibi ornamentum afferent: ita si quid aduersi, quod nolim, accidat, magnam semper auxiliij copiam suppeditabunt.

Sed vide, quàm non fallaci ducantur illi opinione, & quàm maturum ac prudens sequantur illi consilium, qui eum sibi eligendum censuerunt affinem, in quo omnis itidem virtutis splendor eluceret, & qua vetusta illi & auita gaudent profapia, hanc quoque illi in te animaduertent. Origo enim gentis tuæ est antiquissima, vt in qua olim, longa ætatum serie extiterint Palatini, Cancellarij, præclariq; alij Reipub: moderatores, vt ne nunc quidem stirps tua aliqua sterilitate inarescat, sed indies latius ramos extendens, omnibusq; honoribus ac dignitatibus circumfluens, se in omnes partes diffundat.

Verùm quia tum demum nobile ac splendidum genus laudi ducitur, cùm minimè degener posteritas, ijs demumque virtutum vestigijs insistat, & quarum laudum gloriam illi adamarunt, in ijs quoq; elaborandum sibi ea censeat: tu magnum familiæ tuæ ornamentum addidisti, qui eum te præstas virum, quem meritò omnes boni suspiciunt, nomenq; tuum laudibus in cælum ferunt. Nam præter insignia merita tua, quibus Remp: afficere non cessas, ipsa quoque hæc Prouincia nostra Liuonia tantum tibi debet, vt quæ in præcipitem quendam casum delapsa fuit, tuo

po-

potissimùm consilio, tuo labore & industria nunc erecta, nitorique suo restituta videatur.

Ac primum quidem Rigensis Ciuitas ipsa ante decennium perditorum quorundam hominum seditonibus agitata, & paucorum vitiosorum hominum dominatu penè oppressa, tua potissimùm prudentia, singularique animi tui fortitudine est in libertatem vindicata, vt & scelerati quidam, meritis sint supplicijs affecti, & boni omnes per te recreati: quiq; extorres dubiam ac duram agebant vitam, per te laribus ac fortunis suis sunt restituti.

Floret ergò nunc Ciuitas, & sopitis mutuis discordijs, plena pace ac publica tranquillitate fruitur, ac votis suis pro te Deo supplicat.

Nunc autem vniuersa Liuonia in eandem spem libertatis & tranquillitatis erecta, tuam præsentem opem agnoscit, & quantus in curandis Reipub: vulneribus sis artifex, incolumitate sua recognoscit. Nam cum post diuturnum bellum, omnia ferè prolapsa & deformi quadam ruina labefactata iacerent, ac tantum cuique liceret quantum viribus polleret, nunc ista legum ac iudiciorum disciplina introducta, & petulantiam ac insolentiam audacium hominum refecat, & bonis omnibus certum salutis profugium exhibet: Ita enim te natura formasse videtur, vt nomini tuo non temerè tibi imposito vbiq; respondeat.

Nam sicut nobilis ira Leonis prostratis parcere solet, & debellare superbos sibiq; confidentes; ita tu feroces hominum spiritus contundis, & voce tua debilitas, vt inuiti mitescere cogantur, qui verò & in dictis & in factis modestiam exhibent, insignem humanitatem ac beneuolentiam tuam agnoscant.

Has verò tam præclaras & singulares animi tui doctes experta est olim Moschouia, cum tu Regis Stephani legatus, ita hoc munus dexttæ & animosè obtuisti, vt & superbæ gentis arrogantiam, fortibus ausis represseris, autoritatemq; Principis tui, saluam & integram conseruaueris, nec minus mansuetis & placidis moribus apud omnes, gratiam conciliaueris. Ea quidem in re summa tua pietas eluxit, qui opti-
one tibi à Duce Moschorum data, vt quicquid peteres, hic se in gratiam tuam facturum receperit, tu amplissimum munus esse iudicasti, si ære tuo captiuos in libertatem vindicares, liberatisque Polonis ac Lithuanis nongentis, ac Liuonibus triginta, insignem liberalitatem tuam declarares.

Ac diuina quadam sorte euenisse conspici-
mus, vt non dissimilem moribus collegam ac socium præstantem hunc virum Reuerentissimum ac Illustrissimum dñ. dominum Ioannem Demetrium Solikouski Archiepiscopum Leopoliensem additum tibi contemplemur. Tanta enim in hoc quoq; conspici-

Nam etsi in reliquis omnibus Commissarijs, magna communis salutis sit nobis spes reposita: tanta tamen in animis omnium de te concepta est opinio, vt te absente, nihil tam commodè, tamque feliciter posse peragi statuunt, quod integri & absoluti operis imaginem repræsentet.

Pernauiam quidem hæctenus quasi deserta, tantumque iam præfectum nacta, reditum omninò tuum postulat. Riga verò ipsa præsentiam omninò tuam exposcit, quæ te singularem suum Protectorem agnoscit, & cum nunc suis etiam prematur difficultatibus, varijsque quorundam inuidorum insultibus exposita sit, non aliter saluam ac incolumem se futuram sperat, nisi tu medicam opem illi apposueris, tuoque patrocínio subleuaueris.

Nam etsi grauem necessitatem tibi impositam agnoscimus, quæ nunc te à conspectu nostro auulserit, neque agrè ferimus, laudabilis ac honesti propositi tui causa consequendi, te à nobis abstrahi: tamen cum in perferendis omnibus laboribus, constantiam tuam & magnum animi robur expendimus, non omnino totam spem abijcimus, quin tu ad nos redeas, redituque felici tuo, omnium nostrorum mentes exhilares.

Nec verò vllum impedimentum, quod te remoretur, videre possumus: quando coniunx tenera & ama-

amabilis adeo non grauem sarcinam se tibi præstabit, vt vel vno curru iuncta se faciliè in quasuis regiones transferri patiatur, ac si quid molestiæ in itinere obrepserit, iucundo conuictu & suauis colloquio omnine tædium sic tibi ademptura.

Vnum fortassis est, quod te ab itinere denuò ad nos suscipiendo deterrere possit, magna nimirum rerum omnium inopia, quæ nunc ob malignum rerum omnium superioris anni prouentum, patriam nostram premit, neque commodè omnia in vltus necessarios tibi suppeditare potest.

Sed ista est animi tui magnitudo, vt tu maiorem laudis & gloriæ fructum reputans, quàm omnes alias, quæ præsentis vitæ seruiunt, voluptates, etiam frugales mensas non sis aspernaturus, & ad summum illud gloriæ culmen, magno conatu aspiraturus.

Neque enim leuis te gloria manet, sed summa virtutis, laudumque tuarum prædicatio, si collapsum Liuoniæ statum, in integrum restitueris, & quæ læta rerum omnium fecisti initia, ad felicem & salutarem exitum deduxeris.

Nunc quidem fausta ac felicia omnia ex animo tibi precamur, & per hunc nuncium Ciuitatis Rigensis te charamque vitæ tuæ sociam salutamus, omnia vota nostra, ad Deum Opt. Max: dirigentes, vt vos coniugio iungat stabili, diuturnamque vitæ vsuram concedat,

cedat, & intimo ac sincero amore corda vestra con-
glutinet, pulchraque prole vos faciat parentes, vt ali-
quando paruus Leunculus, magni Leonis ludat in
aula, donec tandem in præclaram famam factaque
parentis succedat, neque nomen tuum, paternis insi-
stens vestigijs, vnquam intermori apud nos sinat.

Quod ad me priuatim attinet, tantum me tibi de-
bere fateor, vt gratiæ tuæ benefactisq; tuis parem ora-
tionem inuenire nequeam, & quicquid prompsero
in laudes tuas, id semper inferius meritis tuis sim iu-
dicaturus.

Tu nuper inuidia obstante me authoritate R^æ. Mtis.
in eam dignitatem, honestumq; hoc terrestre offici-
um, quod sustineo, sublimandum duxisti, & ne ob-
streperent inuidi, voce tua omnes eorum conatus re-
pressisti: Pro quo munere, quas condignas gratias
tibi rependam, non inuenio:

Duo tamen relicta sunt, quibus officium tibi à me
debitum, expleri posse arbitror: Vera nimirum &
sincera animi affectio, deinde officiū, si quod præsta-
re possim. Esse autem me animo in te tuosque, quo
debeo, & mihi conscius sum, & qua potui fide, sem-
per declaravi, & declarabo deinceps. in perpetuum
enim in te gratus esse cupio.

Et quod ad laudes tuas decantandas attinet, ita me
vbique geram, vt quicquid ingenij est, quod sentio,

B

quàm

quàm sit exiguum, id semper ad prædicandas virtutes tuas conferam. Quod cum etiam nunc exili hoc carmine, quod Epistolæ subiungo, facere studuerim, ita te hoc accepturum confido, vt non tam conatum viresque meas expendas, quàm eximiam meam in te voluntatem comprobendam censeas.

Si hoc quoque requiritur, vt à me præstetur aliquid etiam officij, nihil aut parum esse, quod à me præstare possit, non inficior: nec tamen nego posse voto nuptiali multum præstari. Votum ergo facio eo animo, quem præ me fero, hoc est sincero & beneuolo, vt matrimonium hoc felix, faustum fortunatumque sit. Addo & hoc, quo veteres, nuptiarum festiuitates cohonestare solebant:

Saluus sis cum socero, socru, sponsa, affinibus, cumque tuis omnibus, viuas, valeas, & tui similes, in salutem Reipub: nominisque tui perpetuitatem, procrees.

Sed vnum adhuc est, quod vehementer à te Ill^{me}. domine peto, vt quia tu tam arcto affinitatis vinculo, Ill^{no}. Principi Palatino Vilneñ. Christophoro Radzivvilo coniunctus es, me quoque in gratia eius conseruandum statuas, ne perfidorum quorundam hominum, maleuoli conatus, animum eius erga me immutent, & præclaram alioquin, quam semper agnoui humanitatem, à me alienent.

Hanc

Hanc enim meam sortem agnosco esse, vt quamuis de omnibus mereri studeam, nec vllam offensio- nis causam, cuiquam præbeam: tamen à paucis bo- nam gratiam referam. sed tantum virtuti ac pruden- tiæ Ill^{mi}. Principis Palatini Vilneñ. tribuo, vt si quis vana criminatione nomen meum, vel etiam amplif- simi senatus Rigeñ. aspergere cupiat, ille semper excu- sationi iustæ locum sit daturus, & quam promereri semper studuimus gratiam, hanc integram & sena- tui & mihi sit conseruaturus. Vale. Vendæ in Com- missione generali 11. Kal. Iunij, Ao 1599.



B 2

CAR-

CARMEN NVPTIALE

HEROICVM.



E me raptat amor dulcis Permessidos vndas
 Rursus adire, Leo gelidisq; in vallibus Hami;
 Dum florū veneres tellus protrudit, Adonis
 Quas pinxisse suo perhibetur sanguine, paulūm
 Respirare: fori quod spissa negocia pectus
 Hactenus vrserunt, & luvida gluma virorum
 Acribus inuidiæ stimulis pressere, timentis
 Cocyti furias, tortosq; Ixionis angues.
 At tamen aureolo pulsuri pollice chordas,
 Cūm recti iusti q; mihi sim conscius, ipse
 Letus Hymen, cytharæq; potens Latōus ad aulam,
 Innixam nitido virtutis marmore, nostro
 Nomine contendent, illos quod saepe rogavi.

Irem sponte tuas, Heros fortissime, longo
 Carmine per laudes, per tædia multa viarum,
 Quæ dudum toleras famâ perculsus honestâ.

Irem per formæ laudes, per stirpis avitæ
 Virtutes sponsæ: Sed Pitho præstitit illud
 Nostra per assiduos quantum licuisse labores
 Sancta Themis voluit. Nec enim non vellere pergit
 Auriculas, ut me sylvestribus abdere tento
 Thespiadum lucis. Hoc coram pronuba Juno,
 Hoc diuinus Hymen, hoc Orpheus Thracius, eius

Aut

*Aut pater, aut mater fidibus resonantibus ipsa
Calliope facient, faustissima quæq; precantes.*



SEPTEM COLLEGARVM

Commissionis Livonicæ vota ad Ill. Can-
cellarium, Sponsum.

I.

Ill. & Reuerendissimus Dominus, Dñ. IOANNES
DEMETRIVS SOLICOVIVS, Archiepis-
copus Leopoliensis.

O SAPIEHA, Jocus, diua Venus, teq; cupidinis,
O SAPIEHA, puer; Dadalijs artibus excitis
Telis Idalius; remigio præpete Cypriâ
Pennarum volitantes; petierunt! Igitur tuam
Ad sponsam properas? Principibus nata parentibus
Et quæ femineæ gentis honos, moribus aureis,
Et magnis animi dotibus ornata sui nitet.
Ad sponsam hanc properas. Vitio quis tibi verterit?
Non mî talis amor, non volupe est vincula conjugum
Sic spreuisse mihi. Quin tibi, quin & socero tuo,
Quin sponse precor, ut prosper Hymen sacra jugalia
Fortunare velit, carmina donans hymeneia.

Lectuli donet DEVS; at superstes
Ut parens isti quoq; sitis ambo
Nestoris annos

Id precor vobis. Nec enim iuuabit
Liberos nasci, tamen haud adultos
Amulos vestri fieri, senecta

Præsidiumq;.

V.

BARTRAMVS HOLTSCHVER Suc-
cammerarius Dorpatensis.

A Etatem Priamiq; Nestorisq;
Et quantum Patriarcha quisq; vixit
Annorum spaciū precarer. Atqui
Non est viuere, sed valere, vita,
Ergò opto valetudinem perennem,
Et si qua Venus est voluptuosa,
Illâ illâ liceat diu fruisi,
Etsi quâ volet imminere morbus,
Nullo illo liceat carere semper.

VI.

IOANNES VVILCZEK Secreta-
rius Regius.

E T vulgûs valet optimè &
Rarò Paonijs vititur artibus,
Ipsum sed perit integrum
Vita Parca simul stamina ruperit.

Qua

*Quare non sine gloria,
Virtutis pariter culmen honoribus
Nixum scandito perpetim,
Ut per summa seras lydera verticem.*

VII.

DAVID HILCHEN, Secretarius Regius &
Notarius terrestris Vendenſis.

HOc facis; & quod ipse
Non queat virtutis honos temporis in vido
Dente premi, & tenebris
Mergier Pymplea vetet, trans Amathusidos
Ipse plagas remotas
Sed magis, SAPIEHA, ſones: LITHVANIÆ
Et quia non parùm ſit (DECVS.
Gloria, virtutis amata comitis; bene
Cæpta Livonicorum
Per vigilatura tibi cura negotiorum
En precor, ut relictis
Et ſocru & ſalvis ſocero; Riga velut caput
Parrhaſie feracis
Incolis, & Parnavium diſcupiunt ſimul:
Nunc precor, ut reverſus
Ordines & grande etiam continues opus.

FINIS.